

Ill/me et R/me Domine

1758

Novit Altissimus, quam ex animo compatiar Ill/mae et R/mae D.V. conglutinata enim est anima mea animae vestrae ab eo tempore quo illam novi; odor enim bonus virtutum Ill/mae D.V. statim diffusus fuit usque ad nos. Mox ut literas Ill/mae D.V. accepi, adivi Pontificem, et exposui querelam adversus Venetos, et nihil omnino omisi eorum quae sunt in literis vestris. Compati non parum visus est Sanctissimus Pater; nam et ipse amat Ill/mam D.V. et quis non amaret Pastorem tam bonum et tam necessarium Ecclesiae Dei? Pollicitus mihi est Pontifex acturum se cum Oratore Veneto, et per illum cum ipsa Republica, ut remedium adhibeatur. Excusabit Orator, satis scio, Rempublicam, et totam culpam rejiciet in milites; et prudentis erit consilii dissimulare aliquid, dummodo in posterum nihil detrimenti accipiat ditio Bambergensis.

Auderem ego etiam aliquid scribere ad Serenissimum Ducem, nisi jesuita essem; sed non deero tamen officio meo cum Ill/mis Cardinalibus Venetis et cum ipso Oratore, posteaquam didicero à Pontifice, quid ipse responsi habuerit ab eodem oratore. Interea bono animo sit Dominus meus, et confidat in Deo, qui non deserit sperantes in se. Et nos oremus pro invicem, ut salvemur; mihi certe non parva spes est in sanctis precibus Domini mei Episcopi Bambergensis. Data Romae, die septima Novembris 1616.

Beatissimo Padre

1758a

Il Vescovo di Bamberga per lettere scritte al Card. Bellarmino fa sapere alla S/tà V. come non havendo offeso i Venetiani in cosa veruna, essi con il suo essercito hanno saccheggiato due terre sue, et molti villaggi, ruinate le case e bruciata la chiesa, et fatti altri danni nel territorio suo vicino al Friuli. Per il che supplica la Santità sua, che voglia darci qualche rimedio, altrimenti la chiesa sua patirà un danno irreparabile. Quam Deus ...